



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...

... De Excellentiis Dei

Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701

VD18 90029526

Consult. XV. De bonitate infinitâ Dei in creatione mundi parvi, qui est
homo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45487

CONSULTATIO XV.

De Bonitate infinitâ Dei in Creatione mundi
Parvi, nempe Hominis

Omnes po-
tentia no-
stra ferun-
tur in ob-
jecta sua
cum volu-
ptate.

Quam amabilem oportet esse hanc consultationem cum fructus, quem infallibiliter producet, sit ipse amor, & quidem amor omnium nobilissimus, qui est amor infinitæ bonitatis Dei. Bonitas tam blanda in se complectitur illicia, ut sufficiant monstrari, ad faciendum se amari. Non opus est exhortari oculos ad amandam lucem, quam primùm ipsi hanc vident, mox in eam inferuntur, ipsique adhærent cum delectatione. Non opus est extimulare aures ad amandam suavem harmoniam, ubi primùm hæc resonat, jam illæ arriguntur. Non opus est calcar addere intellectui ad amandam veritatem, mox ubi pulchritudinis ejus conspexerit radium, illicò allicitur, & cum voluptate volat post ipsam. Non opus est etiam urgere cor ad amandam bonitatem, cum hanc velut pretiosum sectetur thesaurum, velut suas amplectatur delicias; mox ubi hanc percipit, jam capitur illâ, rapitur in illam, effundit se, totum se illi devovet, colliquescit dulcore & totum accenditur amore. O infinita Bonitas Dei, monstra

solum te nobis, & omnia mox nostra ad te rapies corda.

Ecce tibi magnum Dei opus, non facit aliud in æternitate, nisi quod bonitatem suam exponat conspectui & faciat illam amari. Ecce tibi infinitas hæc bonitatis effusiones, quibus se totum consecrat & occupat in semetipso, ubi Pater totus plenus & totus superabundans ac diffluens, si ita loqui licet, perfectionibus infinitis, sese totum integrum effundit in Filium suum unigenitum. Ecce tibi Bonitatem infinitam Dei expositam oculis Patris & Filii, & in ipso instanti ex communicatâ hæc bonitate procedit amor infinitus, qui est Spiritus Sanctus: impossibile enim est, ut bonitas videatur, quin ametur. Quando post æternas hæc effusiones, quibus exhauriuntur omnes fontes infinitæ bonitatis Dei, cum se semper adhuc æqualiter inexhaustum inveniat, effundere ulterius sese vult extra semetipsum supra creaturas; magnum ipsius opus est, monstrare se nobis, ut à nobis se faciat amari. Hinc est, quod tot bonitatis suæ effundat radios, quod oculis no-

Deus ex-
ponit bo-
nitatem
suam ut
illi amo-
rem con-
ciliet.

C c c stris

Gen. 1.

Creator
Deus qui
escit in-
vento cor-
de, à quo
amatur,

stris exponit Creaturas: aspice illas omnes, non erit illarum vel unica, quæ suam non habeat bonitatem, ipsarum esse est bonum, naturales ipsarum qualitates sunt bonæ, nihil prodiit è manibus Dei, quod non sit valdè bonum: *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Sed unde traxerunt hanc sibi communicatam Bonitatem, nisi ab inexhausto Bonitatis fonte, qui sibi complacet, se nostris exponere oculis, ut nostra lucretur corda suis illecebris.

Videtur benè, consilium ipsius fuisse, exponendi Bonitæ suam conspectui, extra semetipsum, ut faceret se amari, dum videmus ipsum incessanter operatum fuisse ad perficiendam ingentem hanc mundi fabricam, abs eo, quod requiesceret. Quo ad invenerat cor, quod se amaret. In principio creavit Cœlum & terram, & eodem tempore produxit lucem suam, quasi ad illustrandam primam hanc bonitatis suæ effusionem, illamque visibilem reddendam, sed non requievit, quia bonitas illius extra ipsum exposita nondum amabatur: produxit exin firmamentum, & divisit aquas ab aquis, præfixit limites mari, dedit leges terræ, mandans illi, ut germinaret herbam virentem, progigneret fructus in abundantia, alias adhuc novas

Bonitatis suæ effusiones exhibens; sed nondum requievit, quia bonitas ipsius nondum invenit se amantem. Posthæc appendit Cœlo duo hæc magna luminaria, Solem & lunam, condecoravit firmamentum innumerabili stellarum copiâ, mandavit mari producere & conservare pisces in amplissimo sinu suo, terræ omnia producere animantia, illisque alimenta præbere: Disposuit denique omnia magni hujus naturæ palatii habitacula, illaque muniticâ instruxit suppellectili ex infinitæ Bonitatis suæ thesauris: posthæc tamen omnia non dicitur requievisse, quia tam liberaliter extra ipsum effusa ipsius Bonitas nondum amabatur.

Accedit igitur ad producendum hominem, præparat ipsi corpus, format ipsum propriis suis manibus, spiritualem ipsius creat animam, quam locupletat intellectu & voluntate, facultatibus in latitudine suâ immensis: largitur ipsi mentem ad contemplanda tot opera speciosa, quorum ipsi tribuit dominium ac possessionem, in quibus etiam resplendere videbat tot infinitæ bonitatis suæ radios; sed nondum requiescendi tempus est; quia consilium ipsius nondum mandatum est executioni. Tandem divinum amorem suum collocat in cor hominis, d est,
in vo-

in voluntatem ipsius, veluti Thronum suum, ipsi suam dans gratiam, ipsi que mandans amare se ex totâ animâ suâ: *Et tunc requievit ab omni opere.* Jam satis est, abundè est, habet jam omnia, quæ volebat, bonitas ipsius extra ipsum exposita jam amatur, Consilia ipsius adimpleta. Hoc enim totum erat, quod in magno hoc mundi opere quærebat.

Efficax motivum amandi Deum.

O Deus amoris! bonitas infinita, an igitur verum sit, tanta fecisse te, ut amari te faceres à corde meo? videbaris abs quiete operari sex diebus, nunquam non prosequens opus tuum, nec quidquam capiens quietis, quo ad inveneras cor amans te; Et mox hoc invento, cessas ab omni opere, aliud deinceps non agendo nisi fruendo in quiete amoris hujus dulcore, quasi contentus fores, & digna labori tuo reddita merces, modò ameris. O Anima mea, quantæ ergò sunt tuæ divitiæ, dum possides pretiosum amoris Dei tui thesaurum! possides in corde tuo pretium & æquum valorem omnium operum magni hujus mundi Architecti: Salario ipsum suo solve; nil aliud à te petit, pro omni eo, quod pro te fecit, nisi ut ames ipsum. Quis famulus laborare vellet Domino, pro tam levi pretio? An supremus mundi Monarcha tantum labo-

raverit pro te, & adhuc incensanter omnium operum suorum tibi destinet ac ordinet servitia, tantummodò ut tuum lucretur amorem? Et hunc à te obtinere non possit? quâ ratione videri possit bonitas ipsius, & non amari?

Tu vides ipsam ubivis liberaliter effusam in omnes res creatas, ubi ipsa invitat te, ad amandum se; sed ipsam magis specialiter velim consideres in te ipso, in propriâ tuâ personâ, ubi tota collecta, tota simul unita esse videtur, ut urgeat te vehementius, ad amandum ipsam ardentius. Quomodò ab ipsâ continere te poteris, si quinque bonitatis suæ in te consideraveris profusiones, in quibus admirabilis omninò videtur. Prima est, esse tam nobile, tamque excelens, quod tibi donavit. Secunda est Corpus hoc humanum, quod propriis suis manibus tibi voluit formare. Tertia est, anima hæc spiritualis & immortalis, quam traxisse videtur è regione cordis sui, ut illam tibi donaret. Quarta est, hæc conservatio esse tui, quæ est velut continuata quædam Creatio. Quinta est, assiduitas hæc, quæ in omnibus tibi servit secundum voluntatem tuam, ubi concursus suum & potentiam suam tuis consignat manibus, ad faciendum semper liberè, quod-

Ccc 2 cunq̄ue

cunq̄ue volueris. Ponderemus in Consultatione hâc quinque hæc Bonitatis suæ ergâ nos prodigia, & inueniemus in omni-

bus vehementes stimulos ad amandam ipsam ex toto corde nostro.

ARGUMENTUM.

1. *Quanta sit Bonitas Dei, dum dedit nobis esse.*

2. *Quàm amabilis hæc nobis esse debeat, cum dederit nobis esse nobilissimum.*

ARTICULUS I.

Quomodo nos Deus traxerit è nihilo.

Ubi eras ante centum annos? Sepultus eras in profundo barathro nihili, ubi nihil eras, nihil ibi tunc cogitabas. Sed conjice modò oculos tuos super immensum illud chaos, & aspice te ibi permixtum cum infinitis aliis Creaturis possibilibus, quæ ibidem permanserunt, & nunquam inde exhibunt. Deus transiit illas & transibit in omnem æternitatem, & nihilominus erit Deus: Ejusdem cum illis eras conditionis, transierat te Deus per omnem æternitatem, quæ tuum antecesserat esse, & poterat transire te in æternum. Eecur ergò extraxit te è fuliginoso hoc carcere, virtute omnipotentis Brachii sui, ut produceret te in lucem? An pretiosas Bonitatis ejus erga te divitias condignè poteris æstimare? Reliquisse ibi infinitas alias Creaturas posibles, quæ deterioris non erant conditionis, quàm tu, & dignatum esse eligere te inter omnes, & te ab illis separare,

te in particulari, ab infinitâ illâ confusione, ut suos super te firmaret oculos, ut te amaret, ut tibi benè vellet, ut tibi daret esse, quod est prima basis & fundamentum, cui omnia alia bona innituntur, quæ tibi jam fecit, quæ tibi adhuc facit quotidie, & quæ tibi facere cogitat in æternum? Eecur tibi potius, quàm tot aliis?

O Bonitas ineffabilis! Si animi nostri penetrare benè possent in gens hoc lumen primæ veritatis, quæ nobis hic exhibetur, quis non semper extra se raptus & totus hæreret attonitus? Eecur tu potius, quàm tot alii? quid fecisti, ut mereris esse, tunc dum non eras? Forsitan exorasti Deum, ut eximeret te è confusâ illâ entium possibilium massâ, daretque tibi existentiam? sed quia sepultus fueras in nihilo, eras quoque in silentio, Forsitan conatum adhibuisti ipsemet, ut hoc te carcere liberares: vel saltem ejusdem apud te conce-

Quantum obligamur Deo, quod nos creaverit è nihilo.

Quis bis nit nobis mu

concepisti votum ac desiderium? Sed quia nihil eras, nec robur, nec cor, nec cogitationem habebas. Quis ergo extraxit te e profundo hoc barathro, quando id nec poteras mereri, nec petere, nec desiderare, nec unicam, duntaxat de ipso formare cogitationem? Quis selegit te in particulari, dum nihil habebas, quod te distingueret ab infinitis aliis Creaturis possibili- bus, quae ibi permanserunt & permanebunt in aeternum? unde tibi haec tam bona fors? quis ingenti te hoc favore beavit? O mi DEUS amabilissime mi Creator! Tu solus es, cui debitor sum; agnosco & confiteor, id esse non posse nisi effectum purissimae Bonitatis tuae erga me; omnia a te habeo, omnia tibi debeo, nullius etiam, nisi tuus esse volo.

Quod nobis dedit esse nobilissimum, Quando tibi dedisset non nisi simplicissimum essendi genus, quando nonnisi atomum aëris, vel granulum arenae maris fecisset te, maximo semper tibi cessisset honori, opus esse auctoris tam nobilis, & quidpiam ab ipso possidere collatum: Elevasset namque te ad statum infinito modo excellentiorem, quam fuerit ille tuae originis, cum verum sit, a nihilo ad esse distantiam intercedere infinito, Sed dedisse tibi esse nobi-

lissimum, faciendo te hominem; Congregasse in te omne id, quod inter ceteras omnes creaturas fuerat partitus; dedisse tibi esse, cum Coelo, astris & elementis; vitam cum plantis & arboribus, sensum cum animalibus; & super omnia dedisse tibi animam spiritualem ac immortalem, quam honoraverit caractere suae similitudinis; nobilitaverit intellectu idoneo ad ipsum cognoscendum, ac speciale commercium cum ipso habendum; ditaverit voluntate, quae facultatem habeat ipsum amandi, ipsi adhærendi, fruendi cum ipso amicitiam familiarissimam, cordialissimam, affectuosissimam, qualis esse solet Filii cum Patre, amici cum amico suo; denique locupletasse te libertate, quae imperium tibi tribuat super omnes reliquas creaturas, imò & Dominium tui ipsius; hoc est, quod omnem nostrum excedit captum; hoc est, quod omnem fandi adimit ori facultatem, hoc est, quod ad oculum demonstrat, infinitam ipsius bonitatem non contentam esse tam liberalem sese exhibere erga te solum, sicut erga mundum hunc magnum simul, eo quod supra ipsum donaverit tibi hanc animam spiritualem, quae tantae nobilitatis, tantique pretii est in suo esse, ut totam simul naturam corporalem longo post se

Quod concesserit nobis libertatem,

intervallo relinquat. Hæc nondum sunt omnia.

Quare nos
Deus crea-
veris,

Sed insuper, quod verum sit, ipsum eo nomine tibi dedisse hanc animam spiritualem, ut cum ipsâ suas capiat delicias, ut ipsa sit centrum favorum ac divinæ liberalitatis suæ, ut præcipua sit cura paternæ suæ providentiæ; & demum, ut facultate gaudeat sese olim æternaliter possidendi, infinitis deliciis secum persuendi, & propriâ suâ vivendi vitâ; te, qui nihil eras, consultò extraxisse è nihilo, ut ipsum in æternum possideas; ipsum, qui bonum est infinitum, & infinitæ Majestatis Deus: quis capere hoc potest? quis defixâ mente meditari prodigia bonitatis ipsius, quin cor suum rapi sentiat extra pectus suum, ut in sinum tam admirandæ avolet bonitatis? Ah! moreremur præ amore, toti conflagraremur vivi, sanctis consumeremur ardoribus, quos solus ipsius aspectus in nostris accenderet animabus, si ipsam cognoscere, si ipsam capere possemus.

Recognitio Interim, mi Deus, ecce ex-
ejus, quod tractum me è nihilo ab infinitâ
creati si- bonitate tuâ! nunquam ampli-
mus ad us revertar illuc: Tu me nobi-
ipsum pos- lissimam fecisti ex Creaturis,
sidendum, quæ è divinis tuis prodiêrunt
manibus; Tu animam mihi dedi-
disti immortalem; eâ me sorte
beasti, ut cognoscere te, amare

te, in æternum possidere te mihi sit concessum. Et infinitus mei similium numerus, Creaturæ, inquam, possibiles, quæ erant velut fratres mei & sorores meæ, quia nos omnes simul ejusdem nihili sinus per omnem æternitatem servaverat sibi inclusos, nunquam in æternum hoc potentur favore, quo non magis me fuerant indigni; Ego hoc potior in æternum, & ipsi in æternum eodem manebunt privati. Quantus invidia hic illis foret stimulus, si meam cognoscerent felicitatem. Tribuamus ipsis intellectum, quamvis hujus non sint capaces, cum Scripturæ etiam verba attribuat lapidibus, quorum capaces non sunt: *Lapis de pariete clamabit*; & cogitemus eas è profundo barathro, ubi tabescunt, nos videre in statu, quem tenemus, & in illo, quem aliquando tenere possumus, nempe in statu æternæ Beatitudinis, in ineffabilibus, quibus olim frui licebit, deliciis. Ponamus ipsas concipere inperceptibilem differentiam tum sui, tum statûs nostri; Ecquid dicerent nobis?

O Homo, opus pulcherrimum manuum Dei, ad imaginem Dei creatus, ad fruendum æternaliter Deo destinatus, an probè cognoscis, inæstimabilem, quam possides, felicitatem? Requiesces olim in sinu Dei, fruêris dulcoribus

Habac. 1.

Exprobra-
tio creatu-
rarum que
sunt in ni-
hilo, facta
illis jam
creatis,

Trea-
roga-
quib

toribus ipsius Divinis, possidebis ipsum totum integrum in omnem æternitatem: Et nos in sempiternum privabimur eo, & nihil unquam ipsius possidebimus. Non majora nostris tua erant merita, ut tantam acciperes felicitatem; Et tamen, dum illam nobis denegat, sola ipsius Bonitas, & ille, quo erga te fertur, amor, ejus tibi tribuit possessionem. Quid tibi faciendum in beneficii tanti recognitionem? an tota & integra æternitas sufficeret ad exsolvendas condignas Deo grates? Nonne oporteret te abs intermissione hanc ob causam gratitudinem fovere in corde, memoriam & recognitionem servare in animo, laudes & gratiarum actiones resonare in ore vestro? quomodo possibile est, illius vos oblivisci, illius vos negligere servitium, illum vos offendere Deum, qui aded vos amat? Ecce vos ille præposuit nobis? Ecce is vobis contulit intellectum, qui sit capax ad ipsum cognoscendum; Cor, quod

sit aptum ad ipsum amandum, nisi ut ipsum contemplerini, adoretis & ametis in perpetuum?

Quid respondebimus omnibus hisce vocibus è profundo nihili ad nos clamantibus, nostramque nobis exprobrantibus ingratitude? nisi quod humiliemus nos coram Deo, profundo absorpti silentio, velut suspensi admiratione ineffabilem bonitatem, magni hujus mundi Monarchæ erga tam ingratas suas Creaturas. Transigamus ergo dies atque noctes dicendo cum Sancto Brunone, qui totus extra se raptus identidem & iteratis vicibus repetit: O Bonitas! O Bonitas! O Bonitas! quam adoro, quam admiror, quam comprehendere nequeo. Dic ergo mihi, quis obstrinxit te, ut ita amares me, meque haberes tam magnificè tam munificè. Ah! quis dabit mihi cor immensum in sua magnitudine & accensum in suo ardore, ut tantum te amem, quantum debeo, quantumque desidero.

ARGUMENTUM.

1. Corpus humanum extollit hominem supra omnia animalia.
2. Imò etiam supra Angelos, qui Corpus non habent.

3. Tribuit ipsi commercium speciale cum Deo, qui purus est Spiritus.

ARTICULUS II.

Tres prærogative, quibus

SI alius tibi codex non esset, Subi legere posses divitem ac

largam munificentiam Bonitatis Dei erga te, nisi Corpus hoc humanum, quod tibi dedit; nonne abundè sat esset ad inveniendum tibi, fruimur ex eo quod corpore contemus

tibi, te abs comparatione magis ipsi obligatum esse omnibus Creaturis? Videtur enim verò cedere ad humiliationem hominis, habere corpus materiale ac sensibile more bestiarum. Sed admirabilis hæc est dispositio divinæ Sapientiæ Creatoris sui, dum erigere ipsi noverat thronum gloriæ super apparentem hanc despicabilitatem, quâ ita attollitur in sublime, ut non solum sit nobilior omnibus reliquis animantibus, quæ sicut ipse Corpus habent, sed etiam ratione quâdam beatorum Angelis, qui corpore carent: Et quod admirabilius est, Corpus ipsius totum materiale communiatur ipsi commercium prorsus speciale cum Deo ipso, quamvis hic purissimus sit Spiritus: Dico autem commercium, cujus altissimi in Cælo Seraphini non sunt capaces.

Quanta abundantia Bonitatis Dei, dum demittere se voluit usque ad lutum, ut propriis suis manibus mihi corpus formaret? *Manus tuæ fecerunt me & plasmarunt me.* Cæli, astra, elementa, aurum, & omnia metalla sunt corpora quidem nobilia; non tamen scriptum est, quod Deus illa creando suas impenderit manus, sed unico usus verbo fecit omnia, sicut voluit. Sed ad formandum Corpus humanum, Deus adjicit manus operi,

& ipsemet accipiens terram in divinas manus suas, sicut faceret sculptor, qui exprimere vellet imaginem in argilla, quam conceperat in capite, illam ordinat, expolit, figurat, quoad perfectam hominis statuam efformet. Et quod magis operis hujus Excellentiam declarat, magnumque ipsius Auctoris Consilium, est, quod sacra Scriptura de nostro intelligendi modo accommodans nobis expressis verbis dicat, quod omnes tres divinæ Personæ vocatæ fuerint in Consilium, quasi ad deliberandum circa exquisitum hoc opus manuum Dei: *faciamus* Gen. 1. *Hominem ad imaginem nostram.* Quam ex omnibus Creaturis maximo hoc insignivit honore?

Hoc est, quod demulcebat Sanctum Ambrosium, & Coripiius voluptate implebat & gratitudinis affectu, dum dixit: *Be-* Serm. 10. *stias non fecerunt manus tuæ, in psal. 100* *Domine; sed dixisti, & produxit terra Quadrupedia: Me autem fecisti, Manus tuæ paraverunt me; Non mediocre opus est quod paratum est.* Quanta hujus dignitas operis, quod reliquas omnes tuas transcendit Creaturas! siquidem non solum hic tuas adhibuisti manus, sed dedit id operam fecisti & attentione singulari. Tertullianus admirabilis vir ingenii, admirari satis non poterat industriam, quâ Deus huic

De Resur-
recti, car-
nis, c. 6.

huic incubuit operi : *Recogito totum illic Deum occupatum ac deditum, Manu Sensu Opere, Consilio & Affectione, quæ lineamenta dicebat.* Sic omnia, quæ hic sunt, admirabilia sunt & digna manu tanti Artificis. Quanta hujus pulchritudo faciei? quanta hujus Majestas frontis? quanta horum vivacitas oculorum? quanta horum gratia labiorum? quanta hujus suavitas Coloris? Nonne videtur tibi, omnia pulchritudinis lineamenta, quæ parca velut manu non solum liberali, sed prodigâ, simul unita & quasi insculpta esse in solâ hominis facie? quo pretio omnes hasce comparavit divitias? Nonne ingrattissimus foret, si illas quasi in triumpho circumferret; seque gloriosius jactaret, quasi ipse sibi contulisset hæc omnia, pro eo, quod oculis in Cœlum sublatis agnosceret, hæc munera solum esse à Bonitate Creatoris sui sibi collata, quibus urgeatur, quibus stimuletur ad ipsum affectuosissimè amandum.

Deus totus occupatus in formando corpore nostro.

Dispositio corporis humani ostendit magnitudinem Dei.

Sed nihil est videre duntaxat exteriora pulcherrimi hujus operis manuum Dei : Oportet videre interiora, illorumque considerare compositionem, innumerabilem partium hic concurrentium multitudinem ad formandam inde perfectam œconomiam, ipsarum observare

dispositionem, usum, teneritudinem, conjunctionem, correspondentiam, & accuratam industriam, quâ quælibet suo fungitur officio. Omnia hic tam admiranda sunt, ut innumera ingenia curiosa, cum facerent anatomiam alicujus corporis, ad intuenda machinæ hujus arcana organa extra semetipsa præ stupore abrepta, arripuerint penam, & circa hæc tota exarârunt volumina, loquendo semper de illis velut maximis naturæ prodigiis, licet minimam eorum partem vel videriat vel cognoverint, cum corpus mortuum respectu viventis quasi nihil sit amplius; sed nihilominus parum hoc, quod manet residuum, postquam jam mors suam intulit cladem ad destruendum exquisitum hoc opus, tam est incomprehensibile, ut quidam è maximis medicinæ oraculis, attentè considerans dispositionem & usum partium internarum corporis humani, quamvis illas tantum aspexerit lumine cognitionis naturalis, non illo fidei divinæ, quo carebat, totus hæserit attonitus, & extra se ipsum in profundam raptus admirationem. Quam incomprehensibilis es, o divina Sapiencia, quæ concinnare noveras opus tam eximium, quod omne nostrum superat ingenium? Quænam es tu, manus munifica, quæ intra nos

Galenus,

D d d tan-

tantos conclusisti thesauros, quos ipsi non videmus, summè proficuos, licet non conspicuos nobis? quis es tu, ubi habitas, O Magne Architecte, tantorum auctor prodigiorum? Ah! Si cognoscerem te!

Nostrum
corpus ex
sollit nos
super be-
stias,

Si Corpus humanum alià non gauderet prærogativâ, nisi quod formatum fuerit ab ipsis manibus divinis, abundè sat esset, nè accenseretur bestiarum albo, quæ tam insigni caruerunt honore. Sed eximiam hanc prærogativam Deus alià adhuc non minus considerabili voluit accumulare; Et est, quod cum cætera animantia Corpus habeant versus terram declivè, homo solus erecto sit corpore, & capite versus Cælum sublato, in quo velut in triumpho & throno suo circumfert dominatricem hanc intelligentiam & rationem, communicatam sibi, ut semetipsum regeret & dominaretur omnibus, quæ mundus hic inferior complectitur. Dicendum igitur non est, dejici hominem ad ordinem bestiarum ratione corporis sui, cum ipsius dispositio & situatio satis declarent, ipsum has longè excellere, illasque sub suis tenere pedibus. Sed tertia prærogativa hæc omnia excedens, & mediante corpore suo hominem extra omnem comparationem cum bestiis collocans, est;

quod omnium animalium corpora destruantur per mortem, absque ullâ spe unquam reviviscendi; solum autem corpus humanum incomparabili hoc dotetur privilegio, quod aliquando è mortis manibus sit eruendum, primæque suæ vitæ ac omnimodæ integritati restituendum, adeoque ad similitudinem animæ suæ, quæ Spiritus est, licet hoc totum materiale sit, evasurum immortale, impassibile, æternum. Quis igitur effari possit, ad quem honoris & dignitatis apicem per corpus suum attollatur homo supra conditionem bestiarum?

Sed parum esset, dicere solummodò, quod corpus humanum nobis à Deo datum, mirè attollat nos supra conditionem; bestiarum; Cum verum quoque sit, hominem carne hæc corruptibili indutum, non tantum non inferiorem esse Angelis, qui puri sunt Spiritus, sed certâ quâdam ratione etiam hos antecellere. Et hoc admirabile prorsus est; quodque luculenter nobis declarat maximam Dei erga nos bonitatis abundantiam. Quot virtutes heroicas, quot actiones sanctas, quot pugnas generosas, quot victorias insignes, quot gloriæ coronas potest homo Deo fidelis per corpus suum tum agere, tum reportare, quod Angelis omnino non.

Sap
por
depr
nos
best

Idem super
Angelos.

non licet? An enim hi possunt mortificationem Christi Jesu portare jugiter in corporibus suis; sicut faciendum nobis suadet magnus Apostolus? An possunt jejunare? an portare cilicia & horrentia setis indusia? An suos mortificare sensus? An pati dolores, recipere plagas, effundere sanguinem, profundere vitam pro gloria Creatoris sui? Et homo prestare potest hæc omnia & millena alia bona, amplificandæ Deo gloriae vel maxime idonea, ex eo, quod corpus habeat humanum.

Sæpius corpora nostra deprimunt nos infra bestias,
 Verum quidem est, hominem ratione quâdam se reddere posse superiorem Angelis, sui bono usu Corporis; sed similiter inferiorem se reddere potest bestiis, si carnis & sensuum inhiet & adhæreat desideriis. Si abripi se sinat vitio gulæ, inferior est bestiis; sed si jejundet & vitam sectetur austeram, superior est Angelis: Si vinci se permittat probrosis voluptatum lenociniis, infra bruta sese demittit animantia; sed si puritatem inviolabilem conservet ac integram, obstantibus frustra carnis celebris, jam cœlestes supergreditur genios. Si vitam ducat omnino sensuale, fugiendo crucem ac mortificationem, & quidquid afflictionum fuerit, sectando duntaxat sensuum voluptates, se infra jumentorum dejicit vestigia; sed

si vitam agat spiritualem, cruciformem, amando mortificationem, & fugiendo sensuum voluptates, se supra Angelorum attollit fastigia; unico verbo, si animam suam faciat servire suo corpori, reddens immortalem hunc spiritum sibi à Creatore suo donatum, Carnis brutalis infame mancipium, satisfaciendo in omnibus ejusdem desideriiis, procul dubio multò inferior est bestiis; sed si corpus suum subjiciat servitio animæ, jubetque id obtemperare huic in omnibus, quæ Dei concernunt gloriam & salutis suæ negotium, superior est Angelis; poteritque ipsi servire Corpus ad conscendendum beatitudinis gradum, qui supergrediatur illum plurimorum Angelorum.

Sed nondum satis est dixisse, quod Corpus humanum nos attollat ad Conditionem ratione quâdam excellentiorem, quam sit illa Angelorum corpore carentium. Inæstimabilis Creatoris nostri bonitas, evehere nos voluit ad altissimum hunc inenarrabilis felicitatis apicem, ut mediante corpore nostro, speciale commercium habere possemus cum Deo ipso, qui purus est Spiritus, quod Angelis non conceditur: Enimverò non Angeli sunt, qui stupendâ hæc insigniuntur gloria, ut inter fratres suos numerent Deum, eum-
 Ddd 2 que

Nostrum corpus speciale nobis commercium affert cum Deo,

que & fratrem habeant, & ejusdem secum naturæ personam. O prodigium divinarum bonitatum, quod anteferre carnem meam voluit universæ Angelorum naturæ! *Verbum Caro factum est*, verum quidem est, eadem ratione ipsum assumpsisse Spiritum humanum, quâ carnem humanam, dum homo factus est; nihilominus Spiritus Sanctus, qui dilecti Discipuli Evangelium scribentis direxit pennam, noluit ut diceret: *Verbum anima factum est*; sed ut scriberet, *Verbum Caro factum est*; ad insinuandum nobis, quanto in pretio nobis esse debeat Corpus nostrum humanum, ab ipso nobis donatum: per hoc fieri voluit frater noster, nobiscum iniens societatem ejusdem naturæ; per hoc adorari vult & præcipuâ admiratione honorari in Incarnationis Mysterio: Eandem accipit carnem, quam mihi donavit, & ex eâ facit eandem secum divinam personam; elevat ipsam ad thronum suæ gloriæ, ipsam omnibus Angelis reddit adorandam, & eosdem supremos honores adornat illi, qui ipsimet summæ debentur divinitati. Quid dicitis ad hoc Angeli beati? An cernitis gloriam, ad quam Corpus nostrum humanum attollit & elevat Deus? An aspicitis infinitum, quem possidet honorem, quemque to-

ta vestra natura Angelica nunquam recipiet?

Et non contentus ita exaltasse humanitatem hanc particularem Divinam reddendo hanc carnem, quàm tam arctè propriæ suæ unierat divinitati; vult maximum hunc honorem ad nos quòque omnes miseros mortales extendere. Ipse nos nutrit eadem hâc carne, commiscet ipsam cum nostrâ, seminat ipsam, si ita loqui licet, super terram nostram, velut germen immortalitatis, quam nobis carnem suam in sacrâ Communionem manducantibus promittit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*: Non solum igitur anima mea spiritualis, sed etiam corpus materiale & corruptibile beatâ fruatur immortalitate, quam acquisivit mihi per carnem meam, postquam ipsam in personâ suâ reddidit divinam, ipsamque pro me immolavit in cruce; mors Corporis ipsius immortalitatem tribuit Corpori meo, & in eadem hâc carne, quâ induor, videbo Deum meum, Salvatorem meum; hæc spes mea reposita est in sinu meo, quæ me corroborat. O Deus amoris! Deus Bonitatis! quàm admirabiles sunt divitiæ bonitatum tuarum erga me, quibus recipiendis omnes simul Angeli in Cœlo non sunt capaces! omnes reliquæ Creaturæ magnam

Nostra corpora fruuntur immortalitate.

An no fac im De

gnum hunc mundum componentes nihil ejusmodi receperunt favoris. Ecceur mi Deus majori me tum amoris, tum benevolentiae præsequeris affectu, quam universum hunc mundum materialem? nisi ut obliges me

ad te adorandum, ad te laudandum, ad te amandum ex totâ animâ meâ, largire mihi, mi Deus, omnem, quem à me requiris amorem, ut eundem reddam tibi; cum eum sine te habere non possim.

ARGUMENTUM.

1. *Anima abs comparatione nobilior est Corpore.*
2. *Est extracta velût è regione*

- Cordis Dei.*
3. *Habet specialem connexionem cum Sancto Spiritu.*

ARTICULUS III.

Anima
nostra est
facta ad
imaginem
Dei.

Sed quid immoramur considerationi Corporis, quod est nonnisi minima pars, & ferme nihil respectu animæ? Si Corpus humanum usque adeo transcendit creaturas reliquas, quas Omnipotens Dei manus è fundo nihili extraxit; anima tam mirifice attollitur supra conditionem corporis, ut diceret, ipsam magis appropinquare Deo, qui ipsam creavit, quam corpori, cui ipsam adjunxit, ut verum fatear, non est nisi ipsa sola ex omnibus inferioris hujus mundi Creaturis, in quâ observari possent aliquæ notæ, vel visibilia quædam lineamenta infinitarum perfectionum Dei. Ipsa est spiritualis sicut Deus, incorruptibilis & æterna sicut Deus, intellectiva sicut Deus, ipsa est libera, habet suam providentiam, habet suam voluntatem, quâ disponit ac ordinat. Nonne

potiri tibi videtur prærogativis æternitatis, dum anticipat futura, reviviscere facit præterita, constituit & decernit præsentia, percurrit, involvit & transgreditur omnia tempora. Diceret quis, illam habere aliquid immensitatis Dei, dum sese extendit & dilatat ultra Cælorum ambitum & altissimam mundi sphaeram, ut videat & cognoscat, quid rei agatur in infinitis illis spatiis, quæ ultra Cælos concipit, sibi que imaginatur? Adhæc penetrat ipsa usque ad abyssos nihili, unde extrahit mundos, quorum sibi efformat imagines, quasi ipsa esset Exemplar aliquod verbi æterni, portantis mundum Exemplarem in idæis suis, antequam illum extra semetipsum produceret. Illa rimatur & indagat omnia opera Dei, quæ etiam imitari contendit; & ut consilia sua in ipsum deducat opus,

D d d 3 exco-

excogitavit & excogitat adhuc quotidie artes ac scientias infinitas.

Sed nunquam magis accedere videtur ad similitudinem Dei, quàm quando se elevans super omnia creata, se immergit in vastissimam illam infinitarum ipsius perfectionum abyssum; vidensque se illas comprehendere non posse ipsas admiratur, ipsas adoratur, & exoptat in æternum sic se immersam, sic se absorptam manere posse, abs eo, quod amplius velit unquam inde recedere, inde divelli: Nam qui videret ipsam in hoc statu, diceret, ipsam potius Deum esse, quàm Creaturam. Quando inde revertitur, videtur ipsi, se perditam esse, eò quod non amplius sit in amabili suo centro; non querit aliud, nisi Deum, in omnibus rebus creatis; omnia ipsam afficiunt tædio, omnia displicent ipsi, eo quod nihil suis dignum videat oculis, cum jam semel Deum fuerit intuita. Denique hæc anima est aliquid tam magnum, tamque admirabile, ut ipsamet seipsam non cognoscat, nec capiat; unde Sanctus Augustinus, cui maxima fuerat anima, maximo vir ingenio, qualem vix mundus habuit, hæc super re velut totus extra se raptus, exclamavit: *Nec ego ipse capio totum, quod sum.* Ipsemet nescio

S. August.
lib. 10.
confess.
c. 8.

quid mihi dederis, o mi Deus, Creator mi, dum ejusmodi naturæ dedisti mihi animam: Ipsa est prodigium, quod tu solus cognoscis, nemo id præter te comprehendere potest; Et si id comprehendere possem, manifeste viderem, post te & extra te, nihil majus, nihil pro me spectabilius esse animam meam.

Nunquam cognoscere potuissemus ingentem valorem ac pretium divini hujus muneris, animæ nempe humanæ, aut æstimationem, quæ est apud Deum, vel discrimen ipsam inter & alias Creaturas; nisi Sacra Scriptura, ut se nostro accommodaret intelligendi modo, usâ fuisset metaphorâ, ubi sub velamine sex verborum sat brevium abscondit nobis & paulisper videre nos sinit sex magna prodigia Creationem animæ nostræ concomitantia, quæ sufficiens argumentum præberent omnium hominum studiis toto curriculo vitæ suæ: *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Pondera benè hæc verba, & videbis mirabilia.

Inprimis dicit nobis Sacra Scriptura, quod Deus produxerit nostram animam mediante aliquâ respiratione seu halitu: non quod Deus reipsâ habeat os vel pulmones ad respirationem formandam more hominum; Sed ad declarandum nobis, quod ipsam

Sex prodigia in creatione animæ.

Gen. 2.

ipsam tanti æstimet, tantoque in pretio habeat, quasi respirationem propriæ vitæ suæ. Est quidem verum, quod extraxerit ipsam è nihilo, sicut alias omnes Creaturas; sed dum nobis dicit, quod sit aliqua respiratio prodiens è pectore suo, vult nobis declarare, quod produxerit ipsam affectu tam singulari, tamq̃; tenero, quasi traxisset ipsam è regione Cordis sui: *Inspiravit.*

Ulterius sacra Scriptura non dicit nobis, quod Deus produxerit animam nostram manibus suis, sicut Corpus nostrum, nec quod creaverit ipsam loquendo, sicut alias res creatas, respirando vel suspirando, ut nobis innueret, hoc ita esse, quasi tandem pepererit fœtum sibi charissimum, quem per totam æternitatem in suis portaverit visceribus; hoc est, quasi diceret, ipsam processisse ex intimis DEI penetralibus, eâ prorsus ratione, quâ procedit respiratio ex intimo humani corporis; Et quod, sicut halitus & respiratio non est, nisi exitus vel reditus continuus aëris cor visitantis, non nisi unico momento illud deserentis, & statim iterum revertentis ad illud refrigerandum, vitamq̃; ipsi conservandum, sic anima nostra non exeat à Deo, nisi ut illuc redeat,

non respiret is ipsam, nisi ut denudò aspiret. Quod si ipsa confolata est Cor ipsius, quando ab ipso exiit, videtur, quod illud aliquo modo refrigeret ac confoletur, quando per affectuosam aliquam aspirationem redit ad ipsum. O si sciremus, quid anima nostra sit cordi Dei! Illa vivere non posset absq̃; hoc, & hoc non contentari absq̃; illâ: hoc incomparabiliter plus est, quàm respiratio Cordi meo; qui mihi interciperet respirationem, suffocaret Cor meum: Nonne credam facere me violentiam Cordi Dei, quando anima mea non sequitur divinas ipsius inspirationes, ipsam affectuosissimè ad se attrahentes, ad requiescendum in sinu ipsius? *Redite Prævaricatores ad Cor.*

His omnibus autem non penetramus profunditatem mysteriorum, quæ sub verbis hisce latent abscondita, quibusque ortus nobilissimus & sublimis Genealogia animæ nostræ declaratur. *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ.* Probè intelligo, verba hæc magna quâdam veritate esse gravida, quam progignere vellent in mentibus nostris, si eidem recipiendæ capaces forent: Siquidem videntur nobis dicere velle, quod anima nostra sit Spiritus, quem Deus in nobis collocat & producit

Deus producit omnia in semetipso suspirando & loquendo.

cit per modum respirationis; Quantum est hic prodigium? Memineris, Deum non nisi duos modos habere producendi omnia intra seipsum: Unus est, quo loquitur & producit filium suum unigenitum, quem idèd ipsius nuncupamus Verbum; alter est, quo non loquitur, sed suspirat, & producit è Corde suo, id est, è voluntate suâ, givinum amorem suum, quem appellamus ipsius Spiritum Sanctum; Et adorandus hic Spiritus est conclusio & ultimum complementum eorum omnium, quæ producit intra seipsum. Quod si perpendimus, an non simile quid faciat Deus extra seipsum, videtur ipsum pariter producere voluisse omnes Creaturas duobus modis loquendo & suspirando.

Inprimis produxit omnes Creaturas universum hoc componentes haud aliter, nisi loquendo: *Fiat Lux, fiat Firmamentum*; quando autem devenit ad Creationem nostræ animæ, non produxit illam amplius loquendo, sed quasi suspirando; sic enim Sacra Scriptura de hoc nobis loquitur: *Inspiravit spiraculum vitæ*. Exinde adjungit, ultimam hanc hujus Spiritus productionem fuisse conclusionem & complementum omnium Operum Dei ad extra, ipsumque in pulchro hoc opere requievit, & velut suam habuisse

complacentiam, suasque ex ipso haurire voluisse delicias: *Requievit ab omni Opere*.

Ubi est anima tam parvi luminis illustrata fulgore, quæ non summo afficiatur gaudio, dum hic considerat admirabilem congruentiam & connexionem, quam Deus collocare voluit inter suum Spiritum & Spiritum nostrum? Spiritus Sanctus est sacrum suspirium Cordis Dei, infinito ipsum afficiens gaudio intra seipsum; Et anima nostra est suspirium cordis Dei, afferens illi voluptatem & complacentiam extra seipsum. Spiritus Sanctus est ultimum ex ineffabilibus Dei operibus intra seipsum; Et anima nostra est ultimum ex admirandis Dei operibus extra seipsum. Spiritus Sanctus est sola è divinis personis, quæ non producit aliam personam: & anima nostra est sola è viventibus Creaturis, quæ similem sibi animam non potest producere. Si per impossibile aliqua inter divinas personas esset subordinatio, tunc Pater esset Altissimus, sub Patre esset Filius, & Spiritus Sanctus esset ultimus, nobisque magis vicinus: In omnibus operibus Dei ad extra productis verissima datur subordinatio; Nam illa, quæ tantummodò habent esse, sunt in ordine ultimo; illa, quæ habent vitam & sensum, imminet & eminent his ultimis; sed

Mira con-
junctio in-
ter Spi-
ritum San-
ctum &
animam
nostram.

Aspi-
citur
Spiri-
tus San-
ctus
Med.
63.

sed anima nostra, quæ habet esse, vitam & intellectum, excellit omnibus, & nihil ipsam transcendit nisi Deus solus, ita ut inter Spiritum Sanctum & animam nostram sit maxima propinquitas & connexio quædam immediata; hi duo Spiritus conjunguntur, sibi quæque invicem adhærent, sic quæque admirabilem inter Creatorem & Creaturas faciunt connexionem.

Aspiratio
animæ ad
Spiritum
Sanctum.
Meditat.
6, 3.

O Deus amoris, quàm stupenda videretur nobis hæc veritas, si ipsam benè capere, ac animo comprehendere possemus! quis est, qui non uteretur tum verbis, tum affectibus Sancti Augustini, & Sancti Bernardi? O Anima mea, Dei insignita imagine, decorata similitudine, dotata Spiritu, dilige illum, à quo sic dilecta es. O anima mea, quæ maximo insignita es honore, ut Spiritus sis Spiritus sui, ut ex ipsius quasi prodieris pectore, ut suspirium sis amantissimi cordis ipsius, quod erga te omni plenum est bonitate! Ama igitur tantæ bonitatis Deum, qui usque ad te amavit; ama ipsum unicè, ama ardentè, te quæque flammis divini amoris sui consume. Nunquam, quidquid feceris, nunquam amare ipsum potes, quantum te amat. Sed quia verum est, te Spiritum esse eo nomine creatum, ut uniaris Spiritui sancto,

firmiter conjunge te ipsi, conserva fideliter sacratum hoc vinculum, tibi aded gloriofum: & invenies, Spiritum Sanctum amorem esse infinitum, qui se tibi uniat, se quæque cum tuo conjungat: Ama Deum tuum amore hoc, & tantum amabis illum, quantum meretur, tuum quæque; exigit debitum.

Semen Dei
projectum
in animam
nostram.
1. Joan. 3.

Dum concludere volebam hunc articulum concernentem animam nostram, reduxit mihi in mentem Deus effatum illud dilecti discipuli, quod tanti pro nobis est solatii, ut taceri non debeat: *Omnis qui natus est ex Deo, non peccat, quia semen ejus in eo manet, & peccare non potest*: Divinum hoc semen, quod nati nos facit ex Deo, quod quæque manet in nobis, est gratia Spiritus Sancti. Jam gratia, quæ est semen Dei, nunquam progignit peccatum, sicut enim terra benè culta, quæ bonum frumenti recepit semen, Exempli gratiâ, non producit urticas nec spinas, sed bonum frumentum, quia naturaliter omne semen producit sibi simile; Sic anima, quæ gratiam recepit Spiritus Sancti non producit peccata; sed producet Deum, quia gratia est semen Dei, & omne semen sibi simile producit. O Anima, quæ conservare te studes in gratiâ Dei, quantus est
E e e honor

honor tuus, quanta gloria, quanta felicitas tua!

Semen Dei
producit
Deum.

Recepisti gratiam Dei, ergò semen ipsius habes in te, virtute cuius produces ipsi simile; verè ergò dici potest, te jam esse Deum in semine: Conserva divinum hoc semen, & permittit illud operari in te, & affirmari poterit, futurum te esse velut Deum in terrâ: persevera & cura ut perficiatur, & evades velut Deus in flore; & tandem tempore messis invenies te Deum in fructu, & ex illorum numero, de quibus Regius Vates dixit: *Ego dixi, Dñs estis*. Macte o anima Deo fidelis, conserva sollicitè gratiam, quæ est semen ipsius, & evades Deus in æternitate beatâ; sed expectare oportet tempus maturitatis; quandiu granum est in herbâ vel flore, non videtur esse granum: sed quando moritur & à falce mefforis refecatur à terrâ, exit è spicâ, evolvitur è paleâ, & tale, quale est, apparet, videturque bonum esse granum simile omninò semini, quod mandatum fuerat terræ. Sic omninò bonus Dei servus, qui recepit &

Psal. 87.

conservat gratiam divinam in animâ suâ, non videtur adhuc esse Deus, quia adhuc est quasi in suâ glutinâ, est Deus quidem absconditus, non cognoscitur, non æstimatur; imò nec ipse novit, quis & qualis & quantus sit, quoad ad integram deductus sit maturitatem; morsque ipsum demetat & tollat è mundo, & tunc è suâ evolutus paleâ, carnis mortalis abjiciet corticem, & videbitur esse Deus in fructu, similis divino semini, quod recepit: *Cùm apparuerit, similes erimus*. Tota terra non est capax recipiendo pretioso huic semini ad producendum Deum per germen divinitatis, quod complectitur in se; requiritur ad hoc anima spiritualis & immortalis, sicut tua. Probè perpende tecum gloriam tuam, beatitudinem tuam, infinitam obligationem tuam, quâ divinæ obstringeris bonitati, quod largita tibi fuerit animam tantæ felicitatis capacem. Non nisi unicam hanc veritatem optarem sibi ob oculos poneret anima, ad implendam se gaudii & consolatione per omne tempus vitæ suæ.

1. Joan. 3.

ARGU-

ARGUMENTUM.

1. Quod Deus semper conservet esse, semel nobis concessum.

2. Et quomodo hæc Conservatio nos obliget ad ipsum amandum.

ARTICULUS IV.

Indigemus
continuo
produci
à Deo.

Non totum est, quod Deus concesserit nobis esse tam nobile, corpus tam eximium, & tam ingentis pretii animam; sed insuper is omnia hæc conservat nobis, quod idem est, ac si momentis singulis illa de novo nobis daret: Siquidem non eadem nobiscum est ratio, quæ cum imagine; hæc dum semel absoluta ac perfecta manûs pictoris evasit, non amplius indiget auctore suo; sufficit illam semel fecisse, exinde conservatur seipsa abs eo, quod quisquam de ipsa cogitet: Sed nos sumus velut radius Solis, velut cogitatio intellectus, velut aspectus oculorum. Non sufficit, solem semel duntaxat suum evibrasse radium; nam si unico solum momento diffundere illum desinat ex inhaulto luminum fonte, quem suo concludit sinu, illicò disparet, & eodem annihilatur momento: Non sufficit, semel duntaxat formasse intellectum cogitationem suam; sed si unico momento ab illa desistat; illamque conservare intermittat, quantocyùs dissipatur & evanescit, Non sufficit, semel se ocu-

lum aperuisse & objectum suum aspexisse; sed si palpebris se contegat, & ingressum deneget in angustum hoc potentia visiva palatium, speciebus objecti visibilis, aspectus quoque eodem perit momento.

Eheu! Si divinus hic Sol, fœcundus hic omnium rerum creatarum fons, nobis suam deneget influentiam. Si adorandus hic intellectus, qui producit & portat omnes creaturas potentia Verbi sui, nobis vel minimum suam subtraheret virtutem; Si magnus hic providentia oculus, qui nobis dat esse & vitam aspectu suo, unico tantum momento, suum à nobis averteret intuitum, eodem instanti cecideremus in nihilum primæ nostræ Originis. Itane ergò, mi Deus, ita semper indigeo tui omnibus momentis vitæ meæ, sicut indigebam primo instanti, quo dedisti mihi esse? Opusque mihi est, ut idem omnipotentia tuæ brachium, quod fortiter me eruit, & extraxit è profunda abyssu nihili mei, me eadem fortitudine semper sustentet & conservet, ne immensum naturalis mei nihili pondus continuo me illuc iterum dilabi ac

Magis obligamur Deo pro conservatione, quam creatione.

E e e 2 reverti

reverti faciat. Verum ergò, est, quod, si primum instans, quo dedisti mihi, me æternâ tibi devinciat obligatione; instans secundum, quo me conservas, quod idem est, ac si de novo id mihi dares, hanc meam duplicet obligationem; Et tertium instans conduplicet illam adhuc magis; & tot vitæ meæ instantia, quibus esse meum conservas, quod est ac si semper de novo toties id ipsum mihi dares, eum absque te necessariò id perderem, tot novæ in unum cumulum coacervatæ sint obligationes, quæ semper me magis ac magis obstringant ad te cognoscendum, gratias tibi agendum, te laudandum atque amandum: Et ingratus ego hæc de re vix unquam cogito.

Ob quam
causam be-
neficia DEI
non agnos-
camus.

Numerare est paucos, qui bene cognoscere & debitâ gratitudine agnoscere nōrint divitias bonitatis Dei erga nos, quæ conservat nobis esse, quod dedit nobis: Et hoc exinde proficiscitur, quod res, quæ frequentes nobis sunt, quæ parvi nos constant; quæ usitatæ sunt nobis cum omnibus, quas quotidie eadem ratione videmus, parùm nos commoveant, nōsque illas flocci pendamus & cordi neutiquam sumamus: Itane ergò tu velles, ut virtute lachrymarum, precum, jejuniorum, & austeritatum, emere te cogeret con-

servationem vitæ tuæ? magni æstimares ipsam, si tam caro tibi ipsam venderet pretio. Verum cum tibi favorem exhibeat, illamque conservet ex solâ bonitate suâ, abs eo, quod id ab ipso efflagites, & adhuc non æstimes, adhuc te ipsi obligatum non credas? Nonne hæc ingratitude omnium foret maxima & enormissima.

Itane ergò velles, ut nemo esset in mundo, nisi tu solus, cui conservaret oculos, brachia, Corpus & animam, usum rationis? Et tunc confitereris & agnosceres exhibitum tibi ab eo favorem? sed quia hunc ipsum favorem exhibet omnibus hominibus, quia hæc ratione conservat omnes res creatas, quia tibi hoc commune est cum universo mundo, id nihil esse tibi persuades, id animo non ponderes, nec ingratis te ipsi obstrictum esse agnoscis. Nonne cernis contrarium, quod tantò magis obligeris ipsi, quantò magis universalis ipsius est conservatio? quid enim faceres, si solus esses in mundo, quem is conservaret in esse, quod tibi concessit? Quid faceres, nisi etiam conservaret alios homines, quorum Societate & auxilio indiges! nisi conservaret animalia, quorum Servitia tibi sunt adeò proficua; nisi conservaret solem, non solum ad te illuminandum, sed

Beneficium
universale
obligat
magis.

sed etiam illuminandam universalem naturam; nisi conservaret terram & aërem, & omnia elementa, quibus carere non posses? Si non haberes aërem, ad respirandum, quanti ipsum emereres? Si non haberes lumen, vel si tu solus esses in mundo, qui illius potireris usu, quid non faceres ad obtinendum, ut conservarentur res in eodem statu, in quo modò sunt, tibi tam commodo, tibi tam necessario? Non igitur dicendum est: Si conservato mei esse, mihi esset quid speciale, specialiter me Deo obligatum agnoscerem; sed quia mihi est quid commune cum omnibus, parùm hâc moveor obligatione.

Debet Deus nobis facere mala, ut in cognitionem nos ducat, quando faciat nobis bona.

Eheu! quàm stupidi sumus, quàmque deploranda est nostra ignorantia? vellemus obligare Deum, ut faciat nobis mala ad declarandum nobis, quod faciat nobis bona. Dum versamur in periculo perdendi oculos, quot fundimus preces ad obtinendum à bonitate illius, ut hos nobis conservet! Et si nobis hanc elargiatur gratiam, reddimus ipsi vota nostra, & fatemur; nos summè obligatos esse ad rependendas ipsi grates; & dum illos nobis conservavit sanos ac incolumes per viginti aut triginta annos, an summè debitores ipsi nos esse distitebimur! Si perdidimus brachium, pro quanti dolores! quantæ me-

dicaminum inquisitiones! quamdiu reconvalescentiæ spes affulget, nullis parcitur impensis, erigitur animus ad millenos subeundos dolores, quos sævum artis medicæ propinaverit poculum; Et si virtute medicaminum, dolorum ac patientiæ obtineatur ipsa, summè nos ipsis obstrictos credimus, qui tam caro nobis illam vendiderunt. Quod si Deus nobis ambos conservet & oculos & brachia in incolumitate perfectâ, sicut & cœtera omnia corporis nostri membra, abs eo quod vel minimi steterit nobis, de nullâ erga ipsum obligatigine quid nôsse volumus, multò minus in grates debitas resolvimus ora; Eò quod hæc res sit frequens & usitata. Ex eo igitur, quod bonitates ipsius nimium sint magnæ, nimium frequentes, & nimis quàm universales erga nos, non amplius à nobis æstimantur? Oportet ergò, o summæ Bonitatis Deus, ut tua suspendas nobis beneficia, ut illa tandem agnoscere addiscamus.

Quàm admirabili modo Deus nos conservet.

Sed quod idoneum magis & aptum ad emolliendum cor durissimum est, si videatur, quâ ratione nos conservet. Postquam per potentiam suam eduxit nos è fundo nihili, infinito modo à se remotos conservat nos ex bonitate suâ in sinu suo proprio, ubi nos abs intermis-

E e e ; sione

sione portat majori cum amoris affectu, quàm amantissima parens in suis portaret brachiis filium suum unigenitum: Enimverò hic infans blanditur matri suæ & agnoscit saltem, meliori, quo potest, modo amorem, quo erga se fertur, sed nos ingrati quid facimus? diebus integris obliviscimur Deum, qui tam ingenti nos prosequitur bonitate, negligimus omnino ipsum, imò adhuc deterius facimus, dum ipsum contemnimus, & indies offendimus. Si quispiam te suspensum teneret à tenui filo, supra aliquam abyssum, tuque videres, tuam ab ipso dependere vitam, quid faceres, nisi quod incessanter rogares ipsum, ut te servaret? an offendere ipsum auderes, sicque ipsius provocare iracundiam ad te perpendum? Jam per quodlibet peccatum à te commissum, quando etiam non nisi veniale foret, merereris æquissimè, ut permitteret te labi in profundam abyssum nihili, supra quam Job ait, suspensam teneat universam terram: *Qui appendit terram super Nilivum.* Et nihilominus conservat & sustinet te semper ex magnâ pietatis suæ abundantia. Quantum patientiæ & misericordiæ prodigium, quo omnes in admirationem raperemur, si comprehendere illud possemus!

Job. 16.

Sacra Scriptura observavit ve-

lut magnum prodigium, quod, ^{Quantum prodigium, quod Deus conservet peccatores.} dum Core, Dathan & Abiron vi-
vi præcipitati sunt in infernum, dum nimirum terra sub ipsorum pedibus aperuit abyssos, ad deglutiendum ipsos, cum totâ suâ supellectili ac tentoriis; non absque magno miraculo contigerit, quod ipsorum filii, qui innoxii erant à Crimine Patrum, suspen-^{Num. 16.} si manserint in aëre super terribile illud ingentis hujus barathri guttur apertum: *Et factum est grande miraculum, ut perente Core, Filii ejus non perirent.* Non creditur esse tam ingens miraculum punitio parentum, sicut conservatio filiorum. Verùm si magnum prodigium est, videre innocentes conservatos à manu Dei super apertas abyssi fauces; quis diffitebitur majus adhuc miraculum esse, quod infinita ipsius bonitas innumeram conservet hominum sceleratorum multitudinem, dum ipso actu ipsam offendere non verentur. Quando hi tam insolenter provocant ipsius omnipotentiam, execrandis suis blasphemis, quando non cessant, sed contendunt ipsius contra se exstimulare iracundiam, & ipse, obluente etiam omni eorum malitiâ, invincibili bonitate suâ conservat illos velut suspensos super abyssum nihili, quò omnes Creaturæ judicarent ipsos esse præcipitan-
dos:

dōs : nonne hoc ingens sit miraculum?

Et nonne miraculum quoque sit, quod admirabilis hæc DEI tui bonitas tuam non confundat ingratitude; quod paterna hæc creatoris tui benignitas, quæ rapit Angelos, tuam non flectat cordis malitiam? Itane non movearis, nec emolliaris, dum intra temetipsum dicis: Ego non cesso ipsum offendere, & ipse non cessat mihi benè facere; terra se aperit, ut me deglutiat, nihilum se offert, ut denuò me recipiat, ipse me omni momento

posset destruere retrahendo duntaxat manum suam: toties æquissimè id promereor, quoties peccatum committere non vereor, & ipse me sustinet, me conservat, me defendit, in sinu suo affectuosissimè me portat, quasi ipsum nunquam offendissem: O Bonitas ineffabilis! O patientia Dei, quàm es admirabilis! Ubi mea est ratio? ubi mei sunt oculi? An igitur mihi est anima ærefusa? Nonne tygridis mihi sit Cor & rabies plus quàm brutalis, nisi mutem consilium, ipsum semper offendendi?

ARGUMENTUM.

1. Quod Deus concurrat nobiscum ad faciendum universaliter omnia, quæ voluerimus.
2. Quod concursus hic declaret

- admirandam Dei bonitatem;
3. Quod inde trahere possimus tria egregia documenta pro salute & perfectione nostrâ.

ARTICULUS V.

Deus concurret nobiscum ad omnia nostra opera.
QUANDO Philosophi ceu indubitatum statuunt regulam: Operari sequitur esse; Verissimiliter aliam non habent intentionem, nisi quod dicere nobis velint; omnem causam producere effectum conformem propriæ suæ naturæ; vel quod necessario prius res debeat esse, quàm incipiat operari. Sed detegunt nobis, forsan de hoc nil cogitando, sublimem Theologicam veritatem. Christiane memineris, quod operatio sequatur esse,

quod de utroque idem faciendum sit iudicium; hinc sicut impossibile tibi est, ut habeas esse, vel conservationem tui esse nisi ab Omnipotentia Dei; sic quoque verum est, quod minimum quid operari non possis, nisi per actulem concursum Dei. Ipse nihil tibi debet, & sola ipsius bonitas, sollicitat ipsum, ut tibi det omnia. Non contentus dedisse tibi esse tam nobile; non contentus conservare te tanto cum amore, imposuit sibi ipsi juxta leges paternæ suæ providentiæ, obligationem,

tionem, qua semper paratus esse velit ad adjuvandum te operari illa omnia, quæcunque volueris, & concursum tibi præstandum in omnibus actionibus tuis.

Magnum
prodigium
concursum
Dei.

Ipse relinquit tibi libertatem integram te ipsum determinandi, & faciendi, quidquid placuerit; Et ipse velut causa prima se obligat ad adjuvandum te in omnibus, & concurrentum, ita ut nunquam in minimo deficiat, tecum ad omnia Opera tua, tantâ cum fidelitate ac industriâ, ut absque comparatione sit major hæc industriâ famuli promptissimi ad serviendum suo Domino: quasi fieri voluisset famulus mercenarius voluntatis tuæ, tradit concursum suum in manus tuas, ut eo utaris pro omni arbitrio tuo, abs eo, quod consilium duntaxat ab eo exquirere necesse habeas, abs eo, quod minimam cogitationum tuarum, actionum, aut verborum tuorum elabi permittat, cujus productioni ipse suum non adjiciat auxilium, tantâ cum vigilantia, sollicitudine ac cura, quasi nulli, quam tibi soli in mundo suam haberet impendendam opem, & abs eo, quod vel unico momento succursum suum te expectare permittat.

Quid hoc est, mi Deus? ad quid te obligas Majestas infinita? ad faciendum in omnibus omnia, quæ mihi placuerint? Relin-

quis me in libertate meâ faciendi bonum vel malum; Et quasi essem supremus Monarcha, cui perpetuam præstare voluisses obedientiam, facultatem habeo memetipsum determinandi ad eas, quas voluero, actiones, teque obligo, ut illas omnes mecum facias, ex eo, quod ipsas facere velim. Eheu! faciam ex illis tot indecentes & oculis tuis indignas; faciam ex illis tot frivolas ac inutiles, faciam ex illis tot sceleratas & criminosas; an facere mecum voles tot res tibi displicaturas: Et quidem tunc, dum te offendo, adjuvabis me, ut te offendam? Nulla refert, inquit Deus, relinquo tibi libertatem tuam, ut facias, quidquid tibi placuerit, nec unquam desinam tibi meum exhibere concursum, licet mihi displiceat, licet me offendat.

Sed dicetur, o Domine, te ^{Quare De-} complicem fore peccatorum meorum, eo quod in committendis ^{us nullâ} illis me adjuves? Non, peccatum enim non est, nisi privatio ^{concursum} quædam rectitudinis, & aliquid ^{suo notetur} non Ens, ad quod non concuro; sed solummodo ad id, quod reale & positivum est in actione tuâ: Et hoc malum non est, cum sit aliquid Ens, & omne Ens suam habeat bonitatem. Sed saltem dici poterit, coinquinare te manus tuas, & tuum profa-

Profanare concursum, dum illum tot abjectis inmiscet actionibus, magnitudine ac excellentiâ tuâ prorsus indignis? Non; si enim non coinquinat sol sui puritatem luminis, ex eo, quod illuminet lutum ac cœnum, haud magis, quàm si illuminaret vel flores, vel lapides pretiosos, infinito modo longius absûm, ut meas coinquinem manus, ex eo quod meum exhibeam concursum actionibus, quas Creaturæ facere poterant, abjectissimis.

Sanctam animæ de- fiderium circa con- cursum Dei.

Sed quænam hæc æquitas, quod ita concursus tuus à meâ dependeat voluntate, ut illo mihi uti liceat penes arbitrium meum, teque hæc ratione servire faciam libertati meæ? Non ego sum supremus Princeps tuus, sed tu es meus. Mutemus Domine, dependeam potius ego in omnibus à concursu tuo; sequatur potius voluntas mea in omnibus tuam, ut exequi me faciat semper & ubique illa omnia, quæ tibi placuerint; cum hoc & æquitas postulet & ratio. Verum est, hæc omnia æquitati esse consentanea: Sic omnes bonæ animæ D F O specialiter deditæ, dum magnam hanc advertunt æquitatem, ut Creatura in omnibus dependeat, à Creatore suo, tam in operibus suis, quàm in esse suo, omnes intendunt nervos, ut ita se Deo submittant in omnibus actionibus

suis, ut nec ad minimam earum ex se ipsis se velint determinare; sed in omnibus sequuntur ductum & motum divini ipsius Spiritus, non volentes suâ uti libertate, nisi ut illam voluntati submittant divinæ, dicentes ipsi nunquam non in corde suo: *Domine quid me vis facere?* determina me, dirige me, præcede me, & in omnibus sequar te: Cum enim concurrere tecum debeam, & tu mecum in omnibus operibus meis, æquum non est, ut mea determinet voluntas tuam; sed oportet, ut tua in omnibus actionibus deducat, dirigatque meam.

Utendum cum Reverentia concursu Dei.

Si esset maximæ Vir dignitatis, Princeps vel Monarcha quispiam, qui faceret tibi honorem, sese individuum tibi adjungendo Comitem, ut nunquam te deferens, ex condicito omnia tecum perficeret opera, nonne ipsi deferre, & primas concedere velles? Nonne te obligatum saltem crederes ad ipsum consulendum & interrogandum: An vis, ut hac faciamus o us? An id ipsum tibi arridet? Jam quis Major Monarcha quàm Deus, qui dignatus est se nobis adjungere comitem, qui nunquam nos derelinquit, qui secum tibi concursum largitur ad omnia, ut faciat tecum, quodcunque facis? Ubi est tua erga eum reverentia, si nunquam ipsi dese-

ras, nec interrogas quidem: an placeat hoc opus, quod facis, quodque tecum facere obstringis ipsum? Sed abs eo, quod memor ipsius, ac si nil esset, nec ipsius indigeres, uteris potentia ipsius ac concursu, pro ut tibi placuerit; sic agis in omnibus, quasi tu solus esses, teque juxta proprium tuum moderaris genium, qui non nisi nox est & ignorantia; non nisi viribus tuis & propriae confidis dexteritati, quæ non est nisi infirmitas; Et inde oritur, te ignavè adeò minimæ succumbere difficultati, teque tam malo suffultum consilio in cædos sæpius delabi errores.

Robur animæ observantis concursum Dei.

Sed bonæ animæ, quæ oculos fidei servant apertos, & probè illuminatos ad intuendam veritatem, conspiciendamque velut certissimam continuam Dei præsentiam illiusque concursum in omnibus suis operibus; maximâ commotæ reverentiâ erga divinum hunc Comitem, nunquam se de serentem, nec in actione vel minimâ suam subtrahendem manum, ipsum in omnibus consulunt, ipsius directionem exquirunt, undè & fit, ut in omnibus sapienter se gubernent ac moderentur: ipsius confidunt auxilio, non ignaræ se omnipotenti inniti brachio, quo sustententur, quodque virtutem ac robur sibi tribuat oper-

andi: unde contingit, ipsas esse generosas, intrepidas, infatigabiles, non aspicientes infirmitatem suam; sed confisæ & concursui & succursui omnipotentis Dei, qui nunquam ipsis deerit: præcipuè, quando operantur sub ipsius directione, & ad exequendam divinam ipsius voluntatem. Fatentur quidem, nihil se posse; sed simul nôrunt, nihil impossibile esse Deo, quodque dum ita ad omnia opera nostra concurrat, eadem mediocre, eadem promptitudine miraculum, quâ opus usitatum.

Quot Sancti vivâ hâc fide concursus Dei animati, experti insuper impulsûm Spiritûs Sancti, quo certificabantur de voluntate ipsius, ambulârunt super aquas velut super terram? Alij sese obtulerunt sed conjiciendum se pro veritatis defensione in magnum ignem, sicut seraphicus meus Pater Franciscus. Alii imperârunt mortuis, ut è suis egrederentur sepulchris, ad confundendum mendacium, sicut Sanctus Stanislaus. Et quot alii aggressi sunt & aggrediuntur adhuc quotidie, vitæ tam austeræ exercitia, quæ longè ipsorum exsuperant vires, sicut Sanctus Simeon stylita, qui quadraginta annos Stans in Columnâ transegit, cunctis expositus tempestatibus Cœli: Sicut Magdalena, quæ triginta consumpsit

Quidam consulerit Sanctis confidentiam patrandi miracula?

sumpsit annos in spelunca, absque alio alimento, nisi illo, quod ministrabant lachrymæ, quæ erant panis illius die ac nocte, Et patris tot mirandis actionibus, haud difficile erat magnis hisce animabus se in profundissimâ conservare humilitate, ex eo, quod cuncta attribuerint concursui Dei, qui, cum dederit ipsis esse, talem quoque, qualem volebat, tribuebat ipsis operationem: hinc in omni eo, quod suum esse poterat, nil aspiciabant, nisi defectus, si qui intercedebant.

Utilitas ex eo, quod nobis firmiter persuasum habeamus concursum Dei.

Antiquorum quidam dicebat: Magna pars peccatorum tollitur, si peccaturis testis assistas. Sed certum est, animam fieri quasi impeccabilem, si profundè hanc animo veritatem insculptam circumferat, quod Deus non solum sit præsens, sed quod ipsa nullum faciat opus, quod secum non faciat Deus. Certum est, ipsam fore invincibilem in omnibus difficultatibus, quæ in virtutis viâ occurrere possunt; dicet namque intra se: si infirma sum, is qui me adjuvat, est omnipotens, ut vires mihi præbeat, quibus indigero. Certum est, ipsam consolatam nunquam non victuram, semperque sancto accensam zelo, qui ad volandum alas illi addet in via Dei; quantum enim gaudium, certum aliquem

esse: Ego semper ambulo cum Deo; non solum videt me, quid faciam, & quid patiar in servitio suo, sed & suas ipse partes agit, manu me tenet, quidquid facio, & ipse facit; Et postquam compleverit in me omnes voluntates sanctas suas dubitare non possum, quin æternaliter me sit coronaturus. O quam ingentem Divini annis ignem accenderet in corde, sola & unica amabilis hujus veritatis recordatio!

Forſitan dices, omnia hucusque à nobis in hâc consultatione dicta ad magnum producendum effectum apta non esse: Eo quod Creatio, quæ nobis dat esse, conservatio, quæ abs intermissione id nobis dare continuat, concursus ad omnia opera nostra, res sint, quæ non transcendant ordinem naturæ, & probè constet omnes res naturales multò inferiores esse perfectione animæ, quæ tota supernaturalis est. Si quæstio foret de gratiâ, si loquereris de magno illo amore, quem demonstravit nobis Christus Jesus, moriens pro nobis in cruce; Si considerandum mihi proponeres amorem illum plusquam naturalem, quo proprium suum Corpus manducandum nobis porrigere voluit in sanctissimâ Eucharistiâ; fateor, me efficacia hic inventurum motiva, ad in-

Creatio, conservatio & concursus sunt in ordine naturæ.

flammandum me divino amore; sed respectu horum parvi æstimo omnia naturæ dona ac munerera.

Dona naturæ sunt tam necessaria, quàm gratia.

Quid inquis? quo tam magni non facias omnia naturæ dona, fateor & ego, illa gratiæ longè majora ac excellentiora esse; sed quid hæc tibi proderint, nisi prius acceperis illa naturæ? Nonne hæc sunt basis & primum fundamentum, cui Deus adjunxit & accumulavit omnia reliqua sua beneficia? Interroga infinitas creaturas posibles, quæ remanserunt in nihilo, nec beneficio creationis unquam exhibunt inde, quid profit illis, quod datur gratia, quod habeatur Redemptor, quod inveniantur Sacramenta, quod extet paradysus; Et quid prodesse tibi hæc omnia, si non accepisses à Deo esse hoc naturale, quod tam parvi æstimas? probè novi, nihil profuturum mihi fuisse, esse creatum, nisi etiam fuisset redemptus; sed probè quoque novi, minus adhuc profuturum mihi fuisse Redemptorem, & Redemptionem tam copiosam, nisi fuisset creatus. Probè novi, omnia me debere Redemptori meo, & si mille mihi corda essent, me illum, sicut debeo, non amaturum; sed probè quoque novi, omnia me debere Creatori meo, & si totum me sacrificarem pro ipso, & totus

amoris sui flammis conflagrarem, me quantum debeo, nondum reddidisse.

Quid faciam ergo, ut meis me exsolvam debitis? debeo totum cor meum Deo Creatori meo; debeo quoque totum cor meum Deo Redemptori meo: Cui è duobus donabo illud? Cui è duobus denegare possum id, quod debeo ambobus? Ah! Si duo essent Dij quorum me unus creasset, & alter redemisset, in auspiciâ me obrutum viderem impossibilitate satisfaciendi ambobus. Sed magna hæc mihi felicitas, quod unicus & idem sit Deus, qui est Creator ac Redemptor meus. Sic omnis in hoc mea sistit & stringitur obligatio, ut amem ipsum solum, ipsique tradam ac donem totum cor meum. Nonne ingrattissimus forem, si vel minimam hujus partem denegarem ipsi? An unquam dicatur, me non amare ex toto corde meo, quod quatuor digitorum latitudinem non excedit, Deum infinito modo bonum, qui me amat ex totâ latitudine cordis sui, quæ immensa est? Non, mi Deus: *In toto Corde meo exquisivi te*, Totum tuum est Cor, quod dedisti mihi; reddo id tibi, ut illud possideas totum integrum, irrevocabiliter & in perpetuum. Ah! si scirem, unicum duntaxat in illo toto esse atomum, qui tuus non

non esset, eruerem illud ex pectore meo: unico namque verbo, non novi, nec volo illud, nisi totum sit tuum.

Recogitemus & sapius revol-
vamus mente veritates in hac
consultatione nobis expositas:

difficile erit aspicere hic tantas
divinæ bonitatis erga nos, mu-
nificè & magnificè estusas divi-
tias; quin vehementissimos ex-
perturi simus stimulos nos unice
Deo devovendi, ipsi fideliter ser-
viendi, ipsum ex toto corde no-
stro amandi. Amen.

CONSULTATIO XVI.

De Providentia DEI.

Quatuor
persona-
rum gene-
ra indigen-
ta considera-
tione pro-
videntiæ
Dni.

Lubens universum invitarem
mundum ad hanc consulta-
tionem; sed præcipuè qua-
tuor hominum genera, quibus
omninò necessaria foret ad sta-
bilendam in mentibus ipsorum
pacem, bonumq; ordinem. Pri-
mi sunt, qui vivunt semper in
timore, quasi obsessi toto adver-
sitatum exercitu, quibus ob-
rui debeant, dum minus de ip-
sis cogitant; sicque imaginatio-
ne malorum, quæ non tolerant,
sed quæ tolerare possent, dum
cruciantur, nullâ fruuntur pa-
ce, nec aliquâ vitæ hujus dul-
cedine. Secundi sunt, qui pror-
sus ex adverso millenas spes va-
nas alunt, hisque inaniter se
pascunt, qui magna animo me-
ditantur, qui sibi ipsis cuncta ad
votum successura promittunt,
quasi omnia à suâ de penderent
dexteritate, nullaque supra se
foret potestas, quæ sua, quæ mo-

liuntur, consilia posset demoliri.
Tertii sunt Critici, qui ubivis in-
veniunt, quod carpant, omnia-
que, quæ in mundi Oeconomiam
non juxta suum vel eveniunt,
vel diriguntur genium, notâ
censoriâ perstringunt, quasi cun-
cta juxta suam moderanda &
gubernanda forent Aristarchi-
cam sententiam. Et quarti sunt
animi illi elati, melius dicerem,
stolidi, qui sibi imaginantur nes-
cio quod fatum, quo omnia in
hoc mundo ejusmodi regantur
& gubernentur necessitate, ut
aliter evenire non possint; cum
sibi persuadere non valeant, in-
veniri sapientiam quandam in-
finitam, quæ cuncta regat in
mundo, eò quod in capite suo
habeant nullam, quâ regant se-
iplos.

Omnes hi non sunt in errore,
nisi ex eo, quod ignorent verita-
tem providentiæ Dei. Si hujus

Viva fides
providen-
tiæ divinæ
est remedi-
um occor-
rentium
pulschri-
nostrorum

Fff 3

pulchri-